



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1634

Declarantur reliqua Exercitia secundæ Septimanæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)

pâ, aut cum diuinæ Maiestatis offensâ fiat. Secunda, ne ego iustam iis iniuriis dem occasionem. Quod etiam dicitur in Examine cap. 4. §. 44. vnde, sicut dictum est, hauritur eadem illa huius Exercitij doctrina.

SEXTVS DIES.

*De reliquis Exercitiis secunda
Septimanae.*

Mirabilis est modus quem S. Pater noster seruat, vt nos quasi manu ducat in hac secundâ Septimanâ ad summum perfectionis; de quo, vt aliquid de eo intelligamus,

NOT EMVS PRIMO, Quòd eius intentio sit, vt exercitans disponat se ad sequendû Christum Dominum nostrum tamquam verum suum & legitimum Regem, à quo ad bellum illud cum hostibus suis ineundum amicè inuitatur. Deinde, vt firmiter proponat eum sequi in maximis periculis & laboribus;

verbi

verbi gratiâ, in contemptu diuitiarum & amoris proprij, in contemptu honoris, & amore iniuriarum & infamiæ, & tandem in verâ cordis humilitate. Vt sic in animo suo diuitias contemnat, ametque paupertatem, vt etiam paratus sit reipsâ easdem diuitias relinquere, & paupertatem amplecti, si intelligat, hoc ipsum futurum ad maius Dei obsequium, & maiorem Dei Domini nostri gloriam. Vt, si laus & gloria diuinæ Maiestatis par foret, ad maiorem tamen Christi Domini nostri imitationem eligat potius paupertatem & infamiam, & reputari pro stulto, quæ Christus Dominus noster amauit atque amplexus est; non autem hisce contraria, quæ mundus tantoperè amat & amplectitur. Et hic gradus electionis, præterquam quòd ex se valdè sublimis sit & pretiosus in vitâ spirituali (vt sanctus Pater noster benè notat in cap. 4. Examin.) est prætereà valdè efficax ad animam excitandam, vt sanam electionem in
quo-

quocumque negotio, quantumuis graui & difficili, absque vlllo inordinatæ alicuius passionis periculo faciat.

NOTEMVS SECVNDO, Quòd etiamsi Puncta illa perfectionis proponantur exercitanti se in omnibus istis Meditationibus, vt sciat quâ viâ ambulare, quò eniti, & quid prætere debeat; non tamen vis nobis statim inferenda est in omnibus istis propositis, sed paulatim, ordinatè & gradatim. Nam in Exercitio de Regno Christi collimatur præcipuè in resolutionem & propositum sequendi Dominum suos ad bellum vocantem: in Exercitio de duobus vexillis præteritur declaratio magis particularis, in quibus nempe rebus illud bellum consistat; & vt propositum illud generale Christum sequendi magis confirmetur, & lumen maius acquiratur, quò signa illa sui Ducis & hostis melius cognoscat, magis se in amore paupertatis, ignominia & humilitatis, vt dictum est, exercendo. Quia tamen iste diuitiarum contemptus non est,

est, nec esse potest verus & perfectus, nisi persona etiam decernat, eas re ipsâ, quando id necessarium foret, & Deus ad hoc eam vocaret, deserere. Et multi verè in eo decipiuntur, sibi persuadentes quòd paupertatem ament, quando nihil eis deest; & honoris contemptu delectentur, eumque ament, quando actu honorantur, magnique ab omnibus fiunt: & cum occasiones iam istius paupertatis & humiliationis actu subeundæ sese offerunt, retrahunt pedem, nolentes honores & diuitias quas possidēt deserere. Ut huic difficultati occurrat sanctus Pater noster, addit tertium aliud Exercitium, quod vocant de Tribus hominum classibus: in quo vrget illud solum Punctum; quòd is qui inordinatum hunc diuitiarum amorem ex animo suo eradicare intendit, debeat etiam esse dispositus ad eas re ipsâ deserendas, quando illud sciret ad maiorem Dei gloriam futurum. Et tandem in ultimo Exercitio, quod est de tribus
gra-

gradibus humilitatis, colligit omnia illa proposita & resolutiones, easque ad maiorem perfectionem reducere conatur, dicens, quòd non tantum quando maior Dei esset gloria, sed etiam si par ea foret, & æquale obsequium, potius tamen paupertatem & humiliatorem actualem optare deberet, non ex alio capite, quàm vt sic magis accedat ad similitudinem Christi Domini nostri.

Praxim horum duorum subiungemus hîc breuiter.

*De tribus hominum classibus
sive differentiis, vt potissimam
partem amplectamur.*

ORATIO PRAEPARATORIA, vt
semper antehac.

PRAELVDIVM PRIMVM
fiat, propositis vice historiae tribus
homi-